Quaestio Quodlib. agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 24 Novemb.

Joanne Cothillon Moderatore.

An Spiritus Generationis Principium?

Caeterorum corporum primis et communibus elementis quatuor humores analogi, sanguineorum animantium propria sunt elementa, sed illa pro aliis potestate tantum, hi actu in corporibus nostris delitescunt. qui humores ut ex primis mundi principiis non immediate sed multis succedentibus mutationibus, sic non proximo, sed sanguine menstruo (in mulieribus sana nunquam vitioso) et semine genitali interpositis: illo ex materia quadam apta, hoc opificis, et causae efficientis rationem obtinente, corpora nostra constituunt. Utrumque autem licet ex iisdem generis primordiis, humido, sicco, calido, et frigido constet, ex molo tamen, sic temperamento mixtum sit, differt: in semine ignea atque aërea, in sanguine aqua, et terra, quamquam in hoc quoque, et calidum frigido, et humidum sicco praepolleat.

In viventis mortalis opus divinum renovatio, nam actio non simplex sed alteratio et confectio constans genitale maris et foeminae semen animatum spirituum ubertate turgidum et spumosum, in omnibus animantibus album, facultatibus suis praeditum: et sanguinem menstruum in auxilium sibi convocans, sed semen viri copiosius, calidius, et efficacius, foemineum tenuius, frigidius, in alterius quasi papulum natura comparatum; mas potius quam foemina rationem habet. Sanguis maternus (cuius privatione steriles evadunt mulieres) quam caeteris foeminis uberior materiam sylvam copiosam qua formatur, augetur, et nutritur foetus, suggerens tanta immutandi seminis efficacia valet, ut ex dispari animantium specie nati matrem potius, quam patrem specie referant.

Inest omni semini humor, non aëreus aut aqueus, sed nativus, cum spiritus (qui vere est genitalis sui officii) tum caloris non ignei, aut ab igne originem ducentis, sed proportione elementis stellarum respondentis) sedes et fomentum. Qui nunquam funditus vivente animali siccatur, aut spiritu, calore vero privari potest, quin animal quam citissime vita cedat. Quorum trium inseparabilis essentia (quod calidum innatum dicitur) per seipsum semper mobilis, non intra tantum, aut extra, sed alio aliorum motum excipiente movetur, quoad perdurante vitae curriculo, corpore exhausto immobilis omnis evadat, in quo mors est.

Spiritus utrinque naturae contraria loco pugnantis conciliator medius, superiori magis familiaris, et accommodatus, facultatum sedes et vinculum, primumque omnium functionis instrumentum, animae non essentia, sed vehiculum, cibo et potu refocillatur, sed non nutritur, prorsus simplex et unus functionum tamen varietate tripartitus, sensus, vitae et nutritionis semper author habitus in hoc opere dum versatur magis necessarius, quam in reliquis, sicut inter has, quae de principatu contendunt facultates, naturalis ordine prima est, cui famulantur formatrix, nutrix, auctrix, simul, et eodem tempore, sed non tandiu agentes, formatrix nondum edito foetu cessat, nutrix toto vitae spatio operatur, auctrix vero (cuius gratia coctio non suscipitur, cuiusque finis non est) vigesimum quintum aetatis annum, quod longissimum est, non excedit.

Semen (quo licet careant Eunuchi, solent tamen esse mulierum amatores fervidissimi, ad venerem exercendam aptissimi, et potentissimi) nec corporis pars, nec alimentum, nec colliquamentum quidpiam, sed alimenti ultimi excrementum utile, et benignum, ab omnibus partibus decidunt, verum, vivum, et proximum ortus principium, a testibus (non aliter, quam sanguis menstruus ab utero attrahitur: cuius materia quamquam vasorum testiumque vi exquisite adeo coquatur, ut crassior, albiorque evadat, nequaquam tamen inde absolutam foecunditatis naturam consequi potest, nisi magna ubertate spiritus infletur, eique penitus confundantur.

Ergo Spiritus Generationis Principium.

Ponebat Ludovicus Dreux Pictauensis 1576.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Domini Doctores disputaturi.

M. Petrus de la Bistrade. M. Ernestinus Arragon. M. Nicolaus Jaquart.

M. Gentienus de Monantheuil Prof. reg. M. Lazarus Thenot. M. Robertus Breaulme.

M. Antonius Duval Med. reg. M. Martinus Girard. M. Joannes Huguet.